



# BOLETIN OFICIAL

DEL

## OBISPADO DE SALAMANCA

---

Las reclamaciones se harán, en el preciso término de un mes, a la Dirección del BOLETÍN ECLESIAÍSTICO, calle de la Rua, 59.

---

### NOS EL OBISPO, DEAN Y CABILDO

DE LA SANTA BASÍLICA CATEDRAL DE SALAMANCA.

HACEMOS SABER: Que por traslación del presbítero D. Salustiano Escudero a un Beneficio de gracia, se halla vacante en esta Santa Iglesia Catedral de Salamanca un Beneficio de oficio con el cargo de segundo Sochantre, cuya provisión, perteneciente a la Corona, ha de hacerse con arreglo a lo dispuesto en la Real orden concordada de 16 de Mayo de 1852, por aplicación de la de 23 de Abril de 1908.

Por lo cual, hemos acordado convocar a oposición a todos los que fueren presbíteros o pudieran serlo dentro de un año, después del día de su posesión, citándolos para que en el término de treinta días (que desde luego Nos reservamos prorrogar si lo estimáremos conveniente), presenten sus solicitudes ante nuestro infrascripto Secretario Capitular, acompañando fe



de bautismo legalizada, letras testimoniales de sus respectivos Prelados, o, si no fueren eclesiásticos, certificado de buena conducta, expedido por el propio Párroco.

Los opositores no serán mayores de 35 años; estarán instruidos suficientemente en canto gregoriano, y habrán de tener voz natural, potente y sonora, con la extensión de trece puntos, contados desde *sol* grave hasta *mi* agudo.

Los ejercicios de oposición se harán en presencia de una diputación nuestra y bajo la inspección de examinadores que nombraremos al efecto, habiendo de cantar de repente cada opositor las piezas que se le designen, y someterse a las pruebas que se estimen convenientes.

Las obligaciones precisas del agraciado, serán: asistir a todas las horas canónicas y demás oficios divinos; regir el coro, a excepción de los días solemnes de primera clase, los domingos, la Semana Santa y la octava del Corpus, que serán de cargo del primer Sochantre; deberá, sin embargo, el agraciado, cantar siempre en funciones ordinarias y extraordinarias desde el coro bajo, aun cuando rijan otros; suplir al primer Sochantre en ausencias, enfermedades y vacantes; dirigir las Academias semanales de los Salmistas; cumplir todas las cargas comunes a los otros Beneficiados, en cuanto lo permitan las particulares de su oficio, y, últimamente, atenerse a lo que disponga el Cabildo para el mejor servicio de la Iglesia y para las necesidades del culto.

En testimonio de lo cual, mandamos expedir y expedimos el presente, firmado por Nós y por el Presidente del Ilmo. Cabildo, sellado con el mayor de nuestras armas, y refrendado por el infrascripto Secretario Capitular en Salamanca a primero de Octubre de mil novecientos quince.—✠ JULIAN, *Obispo de Sa-*

*Salamanca.*—LIC. VALENTÍN DOMÍNGUEZ, *Arcipreste-Presidente.*—Por mandado de S. E. I. el Obispo, Deán y Cabildo, DR. MANUEL GARCÍA BOIZA, *Canónigo-Secretario.*

EDICTO para la provisión de un Beneficio de oficio, que lleva anejo el cargo de segundo Sochantre en la Santa Basílica Catedral de Salamanca, con plazo de treinta días, que terminará el treinta y uno del presente mes de Octubre.

---

## OBISPADO DE SALAMANCA

---

### CIRCULAR

Próximo el mes de Octubre, creemos oportuno recordar al venerable clero de la diócesis el más exacto cumplimiento de las disposiciones siguientes:

1.<sup>a</sup> Desde el primer día del próximo Octubre, hasta el 2 de Noviembre, se rezará, al menos, la tercera parte del Rosario, con la Letanía lauretana y la oración a San José, mandada por el inmortal Pontífice León XIII, de feliz recordación, en todas las iglesias parroquiales: en los anejos, sobre todo donde hubiere *Reservado*, el Párroco designará la persona que habrá de dirigir el rezo.

2.<sup>a</sup> En las parroquias donde hubiere medios para mayor solemnidad que la ordinaria, facultamos para exponer el Santísimo durante el Rosario y dar con Él la bendición en la reserva. En las demás parroquias, por pobres que sean, se hará la exposición tan sólo en los días festivos de todo el mes.

3.<sup>a</sup> En todas las parroquias de los pueblos se hará públicamente, con el mayor esplendor posible, la solemne procesión del Rosario en uno de los domingos



de dicho mes. En la capital se organizará y partirá, como de antiguo viene haciéndose, del grandioso templo conventual de San Esteban en la tarde del domingo, día 3, y a ella debe concurrir todo el clero de la ciudad, para lo cual los señores Párrocos avisarán oportunamente a los sacerdotes adscriptos a sus respectivas feligresías.

4.<sup>a</sup> Para mayor fruto de las almas y estímulo de la piedad de los fieles que asisten al Santo Rosario en las iglesias parroquiales de la diócesis o en la de San Esteban de esta ciudad, concedemos cincuenta días de indulgencia por cada vez que asistan al rezo del Rosario; otros cincuenta por oír la plática o recibir la bendición al reservar el Santísimo.

Salamanca, 18 de Septiembre de 1915.

✠ EL OBISPO DE SALAMANCA.

---

## ANUNCIO

---

Habiendo de adjudicarse el segundo día de Navidad dos dotes a dos doncellas pobres, naturales de Peñaranda de Bracamonte, las jóvenes que quieran solicitarlas, dirigirán sus instancias al Excmo. señor Obispo, dentro de los meses de Octubre y Noviembre próximos.

Serán preferidas las que probaren ser del linaje del fundador, D. Cristóbal Gutiérrez de la Cruz.

Salamanca, 26 de Septiembre de 1915.

El delegado administrador de capellanías

**Eloíno Nacar.**



# CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE SACRO TER PERAGENDO  
IN DIE SOLLEMNIS COMMEMORATIONIS OMNIUM  
FIDELIUM DEFUNCTORUM

## BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Incruentum Altaris sacrificium, utpote quod a sacrificio Crucis nihil natura ipsa differat, non modo caelitibus afferre gloriam, et iis qui in miseriis huius vitae versantur ad remedium et salutem prodesse, sed etiam ad animas fidelium qui in Christo quieverint expiandas quamplurimum valere, perpetua et constans Ecclesiae sanctae doctrina fuit. Huius vestigia et argumenta doctrinae, quae quidem, saeculorum decursu, tum christianorum universitatem praeclarissimis affectit solaciis, tum optimum quemque in admirationem infinitae Christi caritatis rapuit, in pervetustis Latinae et orientalis Ecclesiae Liturgiis, in scriptis Sanctorum Patrum, denique in pluribus antiquarum Synodorum decretis expressa licet et manifesta deprehendere. Id ipsum autem Oecumenica Tridentina Synodus sollemniori quadam definitione ad credendum proposuit, cum docuit “animas in Purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio iuvari, eosque anathemate perculit, qui dicerent, sacrum non esse litandum “pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, Neque vero rationem agendi huic docendi rationi dissimilem unquam secuta est pia Mater Ecclesia; nullo enim tempore destitit Christifideles vehementer hortari, ne paterentur, defunctorum animas iis carere utilitatibus, quae ab eodem Missae sacrificio uberrime profluerent. Qua tamen in re hoc laudi Christiano populo verti debet, nunquam eius pro defunctis studium industriamque defuisse: ac testis



Ecclesiae historia est, cum fidei caritatisque virtutes altius insiderent animis, actuosiores tunc operam et reges et populos, ubicumque patebat catholicum nomen, in eluendas Purgatorii animas contulisse.

Ea ipsa profecto effecit tam incensa maiorum pietas, ut, plura ante saecula, in Regno Aragoniae, consuetudine paulatim inducta, die Sollemnis Commemorationis omnium defunctorum sacerdotes saeculares sacrum bis peragerent, ter vero regulares; quod privilegium Decessor Noster immortalis memoriae Benedictus XIV non modo, iustis de causis, confirmavit, verum etiam, rogatu Ferdinandi VI Hispaniarum Regis Catholici, itemque Ioannis V Lusitaniae Regis, Litteris Apostolicis, die xxvi mensis Augusti a MDCCXLVIII datis, ita produxit, ut cuilibet sacerdoti e regionibus utriusque Principi subiectis facultatem faceret ter eadem in Sollemni Commemoratione litandi.

Procedente autem tempore, permulti, tum sacrorum Antistites, tum ex omni ordine cives, iterum et saepius supplices preces Apostolicae Sedi adhibuerunt, ut eiusmodi privilegio ubique gentium liceret uti: eademque de re a proximis Decessoribus Nostris et a Nobismetipsis, in hisce Pontificatus Nostri primordiis, postulatum est haud semel. Nec vero dixeris, causas, quae ad propositum olim afferrentur, iam nunc defecisse: quin immo et exstant adhuc et ingravescunt in dies. Etenim Christifidelium, qui Missas in defunctorum solacium celebrandas vel quovis modo statuerint vel testamento legaverint, pia haec instituta et legata dolendum est partim deleta esse, partim ab iis negligi qui minime omnium debeant. Huc accedit, ut ex iis ipsis, quorum explorata religio est, non pauci redituum imminutione cogantur, ad contrahendum Missarum numerum, supplices Apostolicam Sedem adire.

Nos igitur, denuo conscientiam eorum graviter onerantes, qui suo hac in re officio non satisfaciant, caritate in defunctorum animas, qua vel a pueris incensum sumus, vehementer impellimur, ut omnia cum ingenti earum detrimento suffragia, quantum in Nobis est, aliquo pacto suppleamus. Ea quidem miseratio hodie maiorem in modum Nos permovet, cum, luctuosissimi belli facibus Europae fere omni admotis, cernimus an-



te Nostros paene oculos tantam hominum copiam, aetate florentium, immaturam in proelio mortem occumbere; quorum animabus expiandis etsi defutura non est propinquorum pietas, eam tamen necessitati parem quis dixerit? Quandoquidem vero communis omnium Pater divino consilio facti sumus, filios vita functos, Nobis carissimos et desideratissimos, volumus, paterna cum largitate, congesti e Christi Iesu meritis thesauri abunde participes efficere.

Itaque, invocato caelestis Sapientiae lumine auditisque aliquot Patribus S. R. E. Cardinalibus e Sacris Congregationibus de disciplina Sacramentorum et Sacrorum Rituum, haec quae sequuntur in perpetuum statuimus.

I. Liceat omnibus in Ecclesia universa Sacerdotibus, quo die agitur Sollemnis Commemoratio omnium fidelium defunctorum, ter sacrum facere; ea tamen lege, ut unam e tribus Missis cuicumque maluerint applicare et stipem percipere queant; teneantur vero, nulla stipe percepta, applicare alteram Missam in suffragium omnium fidelium defunctorum, tertiam ad mentem Summi Pontificis, quam satis superque declaravimus.

II. Quod Decessor Noster Clemens XIII Litteris die XIX mensis Maii a. MDCLXI datis concessit, id est ut omnia altaria essent eo ipso Sollemnis Commemorationis die "privilegiata," id, quatenus opus sit, auctoritate Nostra confirmamus.

III. Tres Missae, de quibus supra diximus, sic legantur, quemadmodum fel. rec. Decessor Noster Benedictus XIV pro Regnis Hispaniae et Lusitaniae praescripsit.

Qui unam tantummodo Missam celebrare velit, eam legat quae in "Missali," inscribitur legenda "in Commemoratione omnium fidelium defunctorum,," eandem adhibeat qui Missam cum cantu celebraturus sit, facta ei potestate anticipandae alterius et tertiae.

IV. Sicubi acciderit, ut Augustissimum Sacramentum sit expositum pro Oratione XL Horarum, Missae de Requie, cum vestibus sacerdotalibus coloris violacei necessario dicendae (Decr. Gen. S. R. C. 3177-3864 ad 4), ne celebrentur ad "Altare Expositionis,,"

Quod reliquum est, pro certo habemus fore, ut om-



nes catholici orbis Sacerdotes, quamquam sibi licebit die Sollemnis Commemorationis omnium fidelium defunctorum semel tantum litare, velint libenter studio-  
seque insigni privilegio uti quod largiti sumus. Impen-  
se vere omnes Ecclesiae filios hortamur, ut, memores officii, quo erga fratres, Purgatorii igne cruciatis, non uno ex capite obligantur, frequentes eo die sacris, summa cum religione, intersint. Ita futurum certe est ut, immensa refrigerationis unda ex tot salutaribus piaculis in Purgatorium defluente, frequentissimae quotannis defunctorum animae inter beatos triumphantis Ecclesiae caelites feliciter cooptentur.

Quae autem hisce Apostolicis Litteris constitui-  
mus, eadem valida et firma perpetuo fore edicimus, non obstante quavis lege, antehac lata a Decessori-  
bus Nostris, de Missis non iterandis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die x mensis Augusti anno mcmxv, Pontificatus Nostri primo.

P. CARD. GASPARRI

*a Secretis Status.*

Loco ✠ Plumbi.

PH. CARD. GIUSTINI

*S. C. de Sacramentis*

*Praefectus.*

VISA

M. RIGGI, C. A., Not.

Reg. in Canc. Ap., N.  $\frac{78}{15}$

---

## *Sacra Congregatio Rituum*

URBIS ET ORBIS

Decretum de tribus missis in die sollemnis commemorationis  
omnium fidelium defunctorum celebrandis

Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV  
per Constitutionem Apostolicam sub die 10 huius men-  
sis datam, et privilegium trium Missarum in die so-



llemnis Commemorationis defunctorum celebrandarum a Decessore suo fel. rec. Benedicto XIV Hispaniae et Lusitaniae ditionibus elargitum, et ipsas tres Missas quas idem Pontifex cuilibet sacerdote in iisdem regionibus praescrisit legendas, ad universam Ecclesiam benigne extendere dignatus est.

Ut autem omnibus innotescant praedictae Missae, sacra Rituum Congregatio, de ipsius Sanctissimi Domini Nostri mandato, ita in praesenti Decreto eas describit:

Prima Missa est, quae inscribitur in Missali Romano die Commemorationis omnium fidelium defunctorum.

Altera, quae in eodem Missali habetur in anniversario defunctorum cum sequentia "Dies irae," et Orationibus, ut infra:

#### *Oratio*

Deus, indulgentiarum Domine: da animabus famulorum famularumque tuarum refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem. Per Dominum.

#### *Secreta*

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris pro animabus famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus sacrificium laudis: ut eas sanctorum tuorum consortio sociare digneris. Per Dominum.

#### *Postcommunio*

Praesta, quaesumus, Domine: ut animae famulorum famularumque tuarum, his purgatae sacrificiis, indulgentiam pariter et requiem capiant sempiternam. Per Dominum.

Tertia Missa quae legitur in Missis quotidianis cum sequentia "Dies irae," et Orationibus, ut infra:

#### *Oratio*

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam: ut animas famulorum famularumque tuarum, quae ex hoc saeculo transierunt,



beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Dominum.

*Secreta*

Deus, cuius misericordiae non est numerus, suscipe propitius preces humilitatis nostrae: et animabus omnium fidelium defunctorum, quibus tui nominis dedisti confessionem, per haec sacramenta salutis nostrae cunctorum remissionem tribue peccatorum. Per Dominum.

*Postcommunio*

Praesta, quaesumus, omnipotens, et misericors Deus: ut animae formularum famularumque tuarum, pro quibus hoc sacrificium laudis tuae obtulimus maiestati, per huius virtutem sacramenti, a peccatis omnibus expiatae, lucis perpetuae, te miserante, recipiant beatitudinem. Per Dominum.

Servatis de caetero Rubricis nec non peculiaribus Ritibus Ordinum propriis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 11 augusti 1915.

A. CARD. VICO, S. R. C. Pro-Praefectus.

L. ✠ S.

Alexander Verde, Secretarius.

---

## MOTU PROPRIO

De pontificia commissione vulgatae versionis bibliorum emendandae

BENEDICTUS PP. XV

Consilium a Decessore Nostro sanctae memoriae initum latinae Bibliorum versionis, quae Vulgata dicitur, ad pristinam lectionem restituendae nemo non



numeraverit in iis rebus, quibus Pii X nomen immortalitati commendatur. Etenim, propter varietatem praesertim et copiam Codicum, qui toto orbe terrarum pervestigandi sunt et conferendi, de incepto agitur prope immensi operis et laboris; quod quidem peragi unius, quantumvis operosi peritique viri, industria non potest, sed plurium doctorum hominum communia eaque diuturna studia desiderat. Id vero, si e sententia evenerit, neque exiguas utilitates afferet Ecclesiae, et apud acatholicos de cleri catholici eruditione ac doctrina opinionem augebit.

De successu rei non equidem dubitamus, videntes quibus eam Decessor commiserit: probe enim cognita meritisque celebrata laudibus est sodalium Benedictinorum in hoc studiorum genere sollertia. Itaque *Commissionem* Vulgatae Bibliorum versioni emendandae, ut constituta est, confirmamus, Pontificiae appellationis honore ornamus, atque sui iuris iubemus esse his legibus:

I. Quoties Commissioni novus Praeses dandus erit, Abbas Primas foederatarum Benedictini Ordinis Congregationum, suis adessoribus consultis, unum pluresque proponet Summo Pontifici, qui, quem maluerit, huic muneri praeficiet.

II. Commissio corpus esto legitimum suique iuris, aequae ac cetera Benedictina coenobia.

III. Praeses in sodales, qui de Commissione sunt, quamdiu sunt, eandem iurisdictionem habeat, quam quisque Abbas Benedictinus in sui coenobii monachos, salva, tamquam in radice, proprii Praelati potestate.

IV. Commissio ipsa suos sodales cooptet; huic tamen cooptationi intercedere, id est eam impedire, gravi de causa Primati liceat. Optandum est autem, ut omnes Benedictinae Confoederationis Abbates, nisi locorum rationes obstiterint, libenter sinant eos qui in Commissionem adscribantur, hoc tantum tamque utile negotium obire.

V. Bona, quaecumque Commissioni obvenerint, ipse Praeses administret, nonnullis e Commissione in consilium adhibitis: administrationis vero quotannis rationem Summo Pontifici reddet.



Atque haec Nos Motu-proprio statuimus, sancimus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII mensis Novembris MCMXIV, Pontificatus Nostri anno primo.

BENEDICTUS PP. XV.

---

## S. Congregatio Consistorialis

---

### DUBIUM

De competen ia circa facultatem concedendi religiosis paroecias saeculares

Proposito dubio: "utrum facultas concedendi Religiosis paroecias saeculares spectet ad S. C. Concilii, vel potius ad S. C. de Religiosis,."

Emi Patres huius S. C. Consistorialis, re mature perpensa et praehabito Consultoris voto, in generali-bus comitiis diei 28 iunii 1915 respondendum censue-runt: "spectare ad S. C. Concilii, firma tamen obliga-tione pro Ordinibus et Congregationibus religiosis ob-tinendi a S. C. de Religiosis necessariam facultatem vel dispensationem, si ipsorum constitutiones et regu-lae eis prohibeant paroecias retinere et regere,."

In audientia autem infrascripto Cardinali Secreta-rio concessa diei 2 iulii 1915, SSmus D. N. resolutio-nem ratam habuit et confirmavit.

Romae, die 5 iulii 1915.

✠ C. CARD. DE LAI, Ep. Sabinen., *Secretarius*.

L. ✠ S.

† Thomas Boggiani, Archiep. Edessen, *Adessor*.

---



## S. G. de disciplina Sacramentorum

---

Facultas addservandi ss. eucharistiam in stativis castrorum  
valetudinariis ac in bellicis navibus

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, Illmi ac Rmi Ordinarii Castrensis in Italia precibus benigne annuens, vigore facultatum a Ssmo D. N. Benedicto Papa XV tributarum, eidem committit ut durante praesenti bello, pro suo arbitrio et conscientia veniam faciat qua, tum in stativis castrorum valetudinariis, tum in bellicis navibus ubi pro clasiariis administrator a sacris adest, Ss. Eucharistiae Sacramentum adservari possit, dummodo altare, in quo ciborium collocabitur, sit decenter instructum et supellectilibus sufficienter praeditum; ibidem sacrosanctum Missae sacrificium semel saltem in hebdomada celebretur, eiusdem ciborii clavis caute custodiatur; lampas ante Ss. Sacramentum collucescat; sacrae Species frequenter iuxta rubricas renoveantur, aliisque servatis cautelis ipsi Ordinario Castrensi benevisis pro diversitate circumstantiarum et locorum, ad tutamen et decorem Ss. Eucharistiae. Contrariis quibuscumque minime ostantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die 22 iunii 1915.

PH. CARD. GIUSTINI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† Aloisius Capotosti, Ep. Therm., *Secretarius*.

---

### Praesumptae mortis coniugis

FACTUM.—In quadam Galliae civitate, C. B. die 7 septembris 1871 ritu Tridentino uxorem duxit quamdam V. E. Haec autem, elapso fere sexennio, id est



mense februario 1877, maritum deseruit, ac paulo post omnino disparuit. Quare C. B., cum eam sedulo, sed frustra, exquisivisset, civili foedere sibi adiungere ausus est aliam feminam.

Conscientiae autem stimulis exagitati, ambo demum Ordinario supplicarunt, ut sibi liceret civile consortium sacramentali vinculo honestare, simul sub fideiurandi asseverantes se non ante civile foedus iniisse quam sibi de obitu prioris coniugis persuasum fuisset.

Curia dioecesana, licet, omnibus perpensis, maximam probabilitatem agnovisset mortis uxoris V. E., attamen acta processus ad hanc S. Congregationem transmisit.

RESOLUTIO.— Quando ad demonstrandum alicujus coniugis obitum probationes veri nominis adduci non possunt tunc satis erit tales *coniecturas praesumptiones indicia et adiuncta* congerere e quorum cumulo *probabilitas maxima, seu moralis certitudo* exurgat (cfr. Instr. S. Officii, an 1868). Humana enim tractanda sunt modo humano.

Iam vero ex Actis sequentes praesumptiones colliguntur.

*Aetas.* Mulier nunc esset annorum septuaginta duorum. Vix autem admitti potest eam ad hanc aetatem pervenisse quum valde tum vino tum libidini indulgeret. Immo haec causa fuit qua tribunal civile anno 1882 sententiam separationis corporum ac bonorum contra eam proferret. “Cette décision ne’était que trop motivée par les habitudes d’intempérance et l’inconduite notoire de la femme, qui avait abandonné le domicile conjugal pour aller vivre avec des amant.” Compertum est autem ebriositatem et incontinentiam adhuc funestiores esse generatim sanitati mulierum quam virorum.

Accedit quod mulier erat inops; e famulatu enim victum quaerebat. Immo prorsus in miseriam cecidisse videtur, siquidem ob continuam ebrietatem nec famulatum agere amplius poterat. “Elle se livrait a la boisson continuellement, elle ne pouvait plus rester en place.” Unde, labente tempore, valde probabile evenit ut etiam iis rebus careret quae ad vitam sustentandam requiruntur. Est ne verisimile talem mulier-



culam, tum vitiiis tum egestate tabescentem, usque ad annum vixisse septuagesimum secundum?

*Inutilitas requisitionum.*—Femina disparuit an 1877, ergo abhinc annos triginta octo; nec tot annorum spatio ullum eius vestigium reperiri potuit, etsi diligentes peractae sint investigationes tum ab auctoritate civili, tum a parentibus.

Sedulo enim requisita est iam anno 1882 a tribunali civili, quando nimirum vir instabat coram iudice pro sententia separationis. Cum enim illa inveniri nullatenus potuisset, tribunal hanc sententiam proferre coactum est—uti dicit—“par défaut”. Quae sententia deinde etiam evulgata fuit per ephemeridem ad huiusmodi promulgationem specialiter designatam, nihil autem nec tunc de muliere auditum fuit.

Nec eius propinqui ullum de ea nuntium dare potuerunt, sed ipsi quoque eam iamdudum e vivis sublata credunt. Sic enim eius frater iam multis abhinc annis scripsit ad oratorem C. B.: “Tu me parles toujours de cette disparue (*id est de masœur*)... maintenant oublie la totalement, fais comme moi, il est très probable qu’il y a longtemps qu’elle est morte... S. m’a écrit en 1906 qu’il avat fouillé un peu partout dans P. (ubi mulier habitaverat) et qu’il n’avait jamais pu avoir aucun renseignement sur elle”. Ac iterum ab oratore interrogatus anno 1911, idem frater uxoris in eundem modum respondit: “Tu me parles de ma soeur; pour moi je la crois morte, et il y a longtemps”. Ergo nec familia mulieris a plurimis annis quidquam de ea rescivit, eamque iampridem defunctam putat. Et sane haud difficile erat mulierculam, nimio potu tan saepe delirantem, infausto aliquo casu periisse, nec identitas defunctae haberi poterat utpote nullum sui nominis indicium prae se ferentis. In magnis quippe civitatibus, qualis ea est in qua mulier vixit, non raro evenit ut cadavera inveniuntur sepelienda uti anonyma. En verba procesus: “Ceux de sa famille, comme ils étaient au courant de ses habitudes d’ivresse, affirment qu’ils la croyaient décedée par accident. Mains n’ayant aucune pièce (ou document) sur elle, le décès n’avait pu être constaté”.

His omnibus perpensis, Emi. ac Rmi. Patres in generalibus huius sacrae Congregationis comitiis habi-



tis die 29 aprilis 1915 ad dubium: *An oratori C. B. permitti possit transitus ad alteras nuptias in casu, respondendum censuerunt: Affirmative.*

† ALOISIUS CAPOTOSTI, Ep. Thermen., *Secretarius.*

---

## Sacra Rituum Congregatio

---

### CELSONEN

Hodiernus magister Ceremoniarum Ecclesiae Cathedralis Celsonen. de sui Rmi. Ordinarii consensu, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutionem humiliter postulavit, nimirum:

Quum in Hispania omnibus et singulis diebus Octavae Ssmi Corporis Christi; ex Brevi Apostolico, s. m. Pii Papae VI diei 5 martii 1776. de nullo alio festo, etiam primae classis, agatur, nisi de octava, duabus festivitatibus tantum exceptis Nativitatis S. Joannis Baptistae et SS. Apostolorum Petri et Pauli, quaeritur:

I. An Octava Ssmi Corporis Christi consideranda sit in Hispania tanquam octava primi ordinis? Et quatenus affirmative.

II. An vigiliae S. Joannis Baptistae et SS. Apostolorum Petri et Pauli infra dictam Octavam occurrentes, commemorandae sint, vel potius omittendae?

III. An Octavae particulares ibidem obrumpendae sint, adveniente festo Ssmi Corporis Christi?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis rescribendum censuit:

Ad I. *Negative*, sed tantum secundi ordinis, juxta novas Rubricas.

Ad II. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad III. *Negative*. Atque ita rescripsit. Die 26 junii 1915.

A. CARD. VICO, *Pro-Praef.*

PHILIPUS CARD. DITAVA, *Substus.*



## De cantu hymni “Te Deum,, et de exequiis tempore belli

*Haec quae sequuntur Decreta, denuo edere peropportunum visum est, cum, hodiernis rerum adiunctis, integre ipsa omnino vigeant.*

### SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA

#### *Ad Ordinarios Locorum in Italia*

Pro parte nonnullorum in Italia Praesulum postulatum est, utrum, occasione belli, quod in Africa geritur, locorum Ordinarii, ubi fuerint requisiti, permittere valeant solemnem cantum hymni ambrosiani, si illud Italis bene cedat, vel funebres caeremonias cum Missa celebrare, pro iis qui in bello ipso decesserint.

Sacra Poenitentia, sic anuente SS. D. N. Leone Pp. XIII, huic postulato respondet:

Permitti posse ut occasione, de qua quaeritur a parochis aliisque ecclesiasticis viris canatur hymnus ambrosianus ita tamen ut post hymnum ambrosianum recitentur versiculi tantum communes et unica oratio pro gratiarum actione; — omissio quocumque alio versiculo et oratione: — itemque permitti posse ut sacrosanctum Missae sacrificium, aliaeque funebres caeremoniae celebrentur, quim habeantur in Ecclesia nec a viris laicis nec a viris ecclesiasticis et ab ipsis Ordinariis funerae orationes.

Cavendum omnino, ne haec omnia in politicos sensus detorqueantur.

Datum Romae, die 13 martii 1888.

RAPH. CARD. MONACO, *P. M.*

L. ✠ S.

I. Can. Palombi, *S. P. Secretarius.*



DE SUFFRAGIIS PRO DEFUNCTIS IN BELLO TRIPOLITANO

Quum saepe saepius, etc.

Mandat autem ac praecipit Sanctitas Sua, ut in eiusmodi funeribus—etsi fiant diebus a ritu permissis—nemo—cuiusque sit dignitatis—sermones aut funebres orationes—in quibusvis ecclesiis seu oratoriis—habere praesumat —Die 3 februarii 1912.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† Petrus La Fontrine, Ep. Charystien, *Secretarius*.

---

## *Commissio Pontificia de Re Biblica*

---

De Parousia seu de secundo adventu domini nostri Iesu Christi  
in epistolis sancti Pauli Apostoli

*Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit:*

I. Utrum ad solvendas difficultates, quae in epistolis sancti Pauli aliorumque Apostolorum occurrunt, ubi de "Parousia", ut aiunt, seu de secundo adventu Domini nostri Iesu Christi sermo est, exegetae catholico permissum sit asserere, Apostolos, licet sub inspiratione Spiritus Sancti, nullum doceant errorem, proprios nihilominus humanos sensus exprimere, quibus error vel deceptio subesse possit?

*Resp.* Negative.

II. Utrum prae oculis habitis genuina muneris apostolici notione et indubia sancti Pauli fidelitate erga doctrinam Magistri; dogmate item catholico de inspiratione et inerrantia sacrarum Scripturarum, quo omne id quo hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto; perpensis quoque textibus epistolarum



Apostoli, in se consideratis, modo loquendi ipsius Domini apprimè consonis, affirmare oporteat, Apostolum Paulum in scriptis suis nihil omnino dixisse quod non perfecte concordet cum illa temporis Parousiae ignorantia, quam ipse Christus hominum esse proclamavit?

*Resp.* Affirmative.

